

## M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA

### I, 13

#### *De Arria et Paeto*

Cum anno 42 in Illyrico L. Arruntius Camillus Scribonianus arma Claudio inferret, eius adiutor erat A. Caecina Paetus; cui, tandem capto et mori coacto, Arria uxor porrexit gladium, quo pectus perfoderat suum, dum moriens verba haec dicit immortalia: 'Paete, non dolet.' De Arria plura in Plinii epistula III, 16.

Casta suō gladium cum trāderet Arria Paetō,  
quem dē vīsceribus strīnserat ipsa suīs :  
'Sī qua fidēs, vulnus, quod fēcī, nōn dolet,' inquit,  
'sed tū quod faciēs, hoc mihi, Paete, dolet.'